

Nachmittag.

Von 1. u. 2. Frey.

2. u. 3. } Fechten. { Ingleichen Voltigiren und
3. u. 4. } { Exercitium mit der Piquen,
Fahn, Mousquet oder Flinten

4. - 5. Jus Publicum bey dessen Explication zugleich ad Jus Naturæ, Gentium & Feudale reflectiret wird.

5. u. 6. } Tanzen.
6. u. 7. }

7. u. 8. Abend-Essen, in des Directoris Gegenwart, der mit speiset, und hernach das Gebeth.

Zu dessen Befräftigung mit Allerhöchst
Ihro Kays. Maj. Secret-Insigel besiegelt.
Wienn den 5^{ten} Decembris Anno 1726.



RELATIO

DE

STATU PRAESENTI

REGIAE

ACADEMIAE


EQVESTRIS LIGNICENSIS


Anno MDCCXLIX.

JAVORIAE,

TYPIS MÜLLERIANIS.

361505



um haecenus experientia deprehensum sit, quod apud multos praefertim extraneos opinio inualuerit, ac si sub auspiciis Potentissimi Porufforum Regis regia academia equestris Josephina Lignicensis a pristina eximiae praestantiae formula non solum multum deflexerit, sed etiam penitus sublata sit; cum e contrario indefessum studium Potentissimi Porufforum Regis non solum fidelissimorum Vasallorum & subditorum commoda & felicitatem paternae cura complectatur, sed etiam praecipuo quodam modo constanti indulgentia hanc academiam equestrem in usum & commodum Juuenum nobilium Silesiae aliarumque regionum institutam foueat, ita, ut non solum ei pristinus splendor constet, sed quantum fieri potest, augeatur & praeter Nobiles Silesiae etiam peregrini & ex-

teri nobiles sine vlllo discrimine religionis, cui addicti sunt, virtutibus, studiis & exercitiis nobilitatem exornantibus apprime partim paruis sumtibus partim absque vllis impensis vacare iisque se præparare possint, vt Deo seruiant, Imperantibus & Rebus publicis dignam exhibeant operam, & familiarum propriarum ornamenta & emolumenta evadant; cumque vt hic finis eo facilius obtineatur, antiqua formula & leges in prima academix constitutione sancitæ & longa experientia admodum salubres deprehensæ tam, quod ad studia & exercitia equestria, quam quod ad commodum & lautum victum alumnorum academix attinet, immutatæ retineantur; cumque ea, quæ forte per superiora bella mutata fuerunt, jam dudum ad pristinam formulam reuocata reducta & legibus inhibita sint: necessarium visum est, præsentem hujus regix academix equestris Lignicensis statum veramque ejus imaginem latius & ex vero describere & in publicum emittere

Hæc dicta academia equestris in præsentia sub tutela Illustrissimi & Excellentissimi Comitis de Munchau S. Regix Majestatis Administri status & belli intimi & in Silesia Dirigentis summique Camerarum belli & Domaniorum Præsidis nec non sub cura Regix belli & Domaniorum Camera Glogaviensis, cui Majestas Regia Porussica per speciale rescriptum supremam curam & inspectionem clementissime injunxit, administratur.

Sum-

Sumtus in eam eodem vt antea modo ex opimi & præstantis Legati ad S. Johannem a Principibus olim constituti redditibus erogantur. In academix vsum magnum & spatiosum adeo vt totum vicum plateæ occupet, ædificium splendidissime de nouo exstructum est, in quo reperiuntur cubicula academix alumnorum necessaria & lauta supellectile instructa, cænacula, auditoria, diætæ amplæ ad exercendam artem palæstricam & saltatoriam nec non ad exercendum sphæristerium tudicularium, stabulum equis in vsum academix comparatis abundans, hippodromus, culina, habitationes tam coquo, quam aliis academicis domesticis aptatæ, nec non cellaria &c. In suburbio vero amplus & spatiosus hortus in varios xyftos fagis formatus & distinctus variis recreationibus academix ciuium inservit, cum ibi bombardis ad metam explodendis conis ludendis exerceri velint.

In hac academia ex redditibus supra dictis duodecim tenuiores nobiles, qui etiam altioris gradus esse possunt, per tres continuos se excipientes annos & quidem septem euangelicæ, quinque catholicæ religionis, præterea duo, qui ex fundatione & legato Comitum de Kospot sustentantur, accipiunt hypocausta, candelas, lignum, victum, potum, institutionem in studiis & exercitiis gratuitam sine vlllo sumtu proprio secundum rescriptum sub dato Viennæ. 13. Junii 1727 in gratiam

tiam academix ciuium, qui foundationis beneficiis vtuntur, emissum, quod pariter ac reliqua constantissime retinetur

Præter hos in eadem academia tot nobiles alienigenæ & indigenæ etiam ii, qui in altiori nobilitatis gradu constituti sunt, quot suscipi volunt, suscipiuntur & pariter ac ii, qui foundationis beneficio vtuntur, comoda & suppellectile necessaria instructa cubicula, candelas, lignum, victum, institutionem in studiis & exercitiis, & recreationes concessas habent, pro quibus ii, qui ex regionibus Regi Porussorum subditis accedunt, singulis annis ducentos florenos, Rhenanos qui vero ex aliis terris huc veniunt quadringentos florenos Rhenanos in annuam pensionem soluunt, prout Rescripta pristina hac de re docent.

Suntus in mensam & victum a Regis huius legati Procuratore coquo, cui hoc totum negotium commissum est, suppeditantur, qui prandium ordinarium sex ferculis, diebus festis autem præter bellaria & vinum Hungaricum decem ferculis, cœnam autem semper quatuor ferculis bene & laute præparatis apponere tenetur. Potus ordinarius est cerevisia, quæ cuique in poculis ex argento in hunc usum confectis subministratur, quam etiam quisque æstate vespertino tempore accipit pro vti etiam jentaculi loco panem & recens factum butyrum.

Vt

Vt vero etiam in hac academia equestri omnia certo ordine & decore fiant; vt illi, qui in ea commorari destinant, sciant, quomodo, dum accedunt, & dum in ea habitant, se gerere debeant, & vt sub necessaria inspectione & directione viuant, licet cuilibet magistrum morum & ephorum secum in academia habere liberum est: non solum certæ quædam leges præterito tempore præscriptæ sunt, quæ etiam nunc immutatæ manentes vim obligandi antiquam retinent, nisi quod aliter, quod ad Capitaneum & Regimen Principatus attinet, sancitum est, sed etiam vt olim Moderator & Director nobili genere prognatus, elegantia vitæ conspicuus & tam in scientiis Linguisque vsitatis quam etiam in exercitiis apprime instructus constitutus est, cui ciues academix cum ephoris & seruis, quos secum habent, vti omnes Professores & exercitiorum monstratores subditi sunt.

Hic in academia habitat, semper præsens est, mensæ adest & ex lege præscripta annitendum habet, vt ordo præscriptus & leges academicæ curate obseruentur omnibus excessibus obvietur, ciues academix ipsi ejusque officio & conscientix demandati secundum sacra, quæ profitentur, sine vlllo discrimine ad cultum diuinum Christiano dignum instruantur, ad statas preces matutinas & vespertinas tali formula conceptas vt & ab euangelicis & catholicis adhiberi possint, veniant, diligentiam debitam

debitam in studiis exercitiis & linguis adhibeant, vitæ generi & moribus nobilitati conuenientibus adfuescant, & secundum paternas Regis Potentissimi constitutiones & vota parentum tutorumue in hac academia bene habeantur & ad publicam patriæ propriamque salutem probe instruantur & vt hac ratione ipsa hæc academia multis sumtibus ad nobilitatis vtilitatem instituta maiorem acquirat splendorem, quæ omnia eo facilius fieri & obtineri possunt, cum partim nullis sumtibus, qui ad hunc finem obtinendum requiri videntur & videbuntur, parcatur, partim cum tot viri docti sufficientibus salariis sustentati sub moderamine Directoris spartam Professorum, Magistrorum Linguarum & exercitiorum obeant, quique partim scriptis editis partim alio modo ostenderunt, quod nec ars nec studium nec desiderium ipsis desit, eorum commodis, qui hic degunt, inserviendi.

Non solum enim quatuor docti Professores, vt duo Professores juris publici, Ciuilis & Canonici, Professor Philosophiæ, Historiarum & Eloquentiæ, Professor Matheseos, sed etiam Magister Linguae Italiæ & Gallicæ eximie peritus, egregius stabuli Praefectus Regius cum Propraefecto, Doctor Palæstricus dignus & solidus & elegans Chorodidasculus seu artifex saltationis cum salariis constituti sunt, quorum quisque suam prouinciam pro virili summa diligentia administrat.

Atta-

Attamen silentio prætermitti non debet, quod præter Jus Publicum Canonicum & ciuile in Catalogo Lectionum adductum, Logica Philosophia moralis, Jus Naturæ & Politica præcipue excolatur, nec non studium Historiæ tam veteris quam recentioris, Geographiæ, Oratoriæ luculentis principiis innixæ, & Matheseos tractetur, in cuius parte pura Arithmetica, Geometria Trigonometria, in applicata, Pyrobologia, Architectura ciuilis & militaris succincte & diligenter explicantur, præterea studio experimentalis physico singulis septimanis singulæ horæ tribuuntur quem in finem varia instrumenta jam comparata sunt & in posterum præsertim mathematica instrumenta comparabuntur. Hæc scientiæ autem præ reliquis maxime excoluntur, quia experiundo cognitum est, quod earum cognitio ex hodierno rerum statu cuiuslibet Nobili maxime necessaria iudicetur maximeque desideretur.

Ceterum Professores modico admodum minervali præbito in his jam dictis & aliis scientiis vni vel pluribus conjunctis priuatam exhibere debent & volunt institutionem, vt etiam quilibet, cui lubet, apud magistros exercitiorum eadem ratione artem equitandi, saltandi, armis vtendi, saltu equum conscendendi & descendendi priuato studio perficere potest, & esset optandum vt & ii, qui foundationis beneficio, & ii qui data pensione in academia in futurum commorabuntur, semper ad Festum Pa-

b

Pa-

Paschauros aut S. Michaelis in academiam venire vellent, imprimis autem ut necessaria litterarum fundamenta præcipue Latinæ Linguæ, quippe ignorantia horum fundamentorum studiorum progressui maxime officit, probe tenerent, siquidem in posterum his dictis diebus certa & stata omnium Lectionum & disciplinarum erunt initia.

Et cum seria Potentissimi Porussorum Regis voluntas est, ne sumptus necessarii, quos parentes tutoresue in filios pupillosue occasione academix erogare debent, nimis augeantur, & ne pecunia inutilibus sumptibus & excessibus impendatur: non solum omnia dona præter illud quod pro introitu in academiam vnica vice soluendum sancitum est, cuicumque & quorumque nomine & titulo offerantur, seuere prohibita sunt & interdicta, sed etiam Director serio sub periculo rationes reddendi iussus est cauere, ne alumnus academix apud mercatores vendentes vinum & potum Coffeé in cauponis & stabulis sub pœna legibus academicis sancita, nomina faciat, ibi versetur aut loca suspecta & lubrica frequentet, nec minusei injunctum est, ut leges, quæ de vestibus agunt & de ratione se vestiendi decernunt, rite obseruentur.

Vt etiam qui academiam frequentant, ad omnem diligentiam & studium excitentur: singulis annis die S. Josepho dicato secundum antiquam jam olim introdu-

etiam

etiam consuetudinem publica profectuum specimina eduntur, saltem orationes, quas ipsi proprio Marte idiomate Latino Germanico Gallico vel Italico conficiunt, habentur & tyrocinia in exercitiis deponuntur, quo facto quatuor, qui diligentiam præ ceteris probarunt, totidem eximiis præmiis donantur.

Hæc est præsens Regiæ Academix Lignicensis facies, quam descriptam emittere & publicare non alienum visum est.



A. **R**omani Imperatoris & Regis in Germania Hispania Hungaria & Bohemia Consiliarius intimus, Camerarius & Capitaneus Wenceslaus Adelberty Sacri Romani Imperii Comes de Wurben & Freudenthal Dominus in Datschutz, Marquartz Wohlschau &c. Vti etiam Consilarii Regiminis Principatus Lignicensis & urbium circumjacentium notum facimus iis, qui Regiam Academiam Equestrem Lignicensem jam frequentant aut in posterum frequentare constituunt, quod Imperator & Rex clementissimus noster hæreditarius Princeps & Dominus secundum Regiam Commissionem Academicam anno MDCCXXVI. institutam ad majus incrementum Imperatoris & Regis Academiae Equestris Lignicensis simul in gratiam eorum, qui foundationis beneficio in ea instruuntur certas leges & regulas clementissime approbaverit & confirmaverit, quæ de verbo ad verbum sic se habent.

LEGE S.

Nobilibus, qui in Imperatoria Regia Academia Equestri Lignicensi Foundationis beneficio viuunt, latæ.

Cum Imperator Romanus & Rex in Hispania Hungaria & Bohemia paterna cura clementissime in id incubuerit, vt Imperatoria & Regia Academia Equestris Lignicensis semper dignos Professores & Magistros exercitiorum

citiorum habeat, cumque vt eo magis alliciantur, eorum salaria in majus aucta sint; cumque Imperator clementissime opinatus sit, Alumnis academiae aut potius Parentibus Tutoribusue nihil gratius futurum, quam si de filiis pupillisue in academiam receptis ea ratio iniretur, vt illis præter victum alia plura necessaria ab ipsa academia sine ulteriori data pecunia subministrarentur, cum hac ratione multis ambiguis sumtibus & dubiis rationibus obuiam eatur, quas filii pupilliusue forte conficere possent: hisce nonis tabulis sanciantur sequentia.

Omnis qui foundationis beneficio sustentatur:

I. Ab omnibus donationibus & muneribus immunis esto.

II. Academiae ciuis inspectione & cura Directoris gaudet.

III. Prandium, cœna & potus in argenteo poculo ministrandus ab academia datur.

IV. Post exercitium in stabulo ientaculum.

V. Post prandium horis pomeridianis potus.

VI. Candela & lignum hyeme tam in stabulo quam in cubiculis ad calefaciendum subministratur.

VII. Institutione in omnibus studiis exercitiis & linguis peregrinis, vt Catalogus lectionum docet, gratis vitur.

VIII. Singulis diebus Dominicis & Mercurii variæ Recreationes Juueni Nobili conuenientes tam in ipsa

Academia, quam in horto ante Urbem ad hunc finem aptato conceduntur.

Pro hisce quilibet soluit

Pro introitu vnica vice - 36. florenos

Pro pensione nihil.

Porro autem quilibet in Academiam secum afferre debet.

Strata plumaria cum duobus superindumentis & nonnullis manualibus.

Duo vestimenta triclinaria septem vel octo ulnas longa & duodecim mantilia.

Cultrum & furcillam, cochleare, quæ res allata cuilibet discessuro iterum restituuntur.

Ad confirmationem harum legum secretum sigillum Imperatoris & regis Majestatis impressum est Vienne die 13. Julii M DCC XXVII.

Cum omnes præsentis & futuri ciues Academici, qui Foundationis beneficio vtuntur vtenturue hisce clementissime constitutis debitam obedientiam præstare debent, eas leges, vt omnibus innotescerent, imprimi & consucto Regii Regiminis secreto & subscriptione in publicum emitti curauimus, quod factum in arcæ regia Lignicii d. 23. Junii 1727.

W.A. Comes de Wurben
& Freudenthal.

(L.S.)

E. Krigelstein de Sternfeld.

B. Ro.

Romani Imperatoris & Regis in Germania Hispania Hungaria & Bohemia consiliarius intimus Camerarius & Capitaneus Joannes Baptista S. R. J. Comes de Neidhart Dominus in Spattenbrun Leopoldstein & Krichen vti etiam Consilarii principatus Lignicensis & vrbium adjacentium per hoc omnibus, qui Regiam Academiam Equestrem Lignicensem jam frequentant aut in posterum frequentare constituunt, notum facimus, quod Imperator & Rex clementissimus noster Princeps hæreditarius & Dominus ex commissa & facta regia academica commissione anno M DCC XXVI. ad majus incrementum Imperatoris & Regis Academiae Equestris Lignicensis & simul in gratiam Nobilium indigenarum, qui data pensione in ea sustentantur certas leges & regulas approbauerit & confirmauerit, quæ de verbo ad verbum sic se habent.

LEGE S.

Indigenis Nobilibus, qui pensione data in academia Imperatoria & Regia equestri viuunt latae.

Cum Imperator & Rex in Hispania Hungaria & Bohemia paterna cura clementissime in id incubuerit vt Imperatoria & Regia Academia equestris Lignicensis semper dignos Professores & Magistros exercitiorum habeat, cumque vt eo promptius alliciantur nonnullorum salaria

B.

salaria in majus aucta sint; cumque Imperator clementissime opinatus sit, Alumnis Academiae seu potius parentibus tutoribusue nihil gratius futurum esse, quam si de filiis pupillisue in Academiam receptis ea ratio ini-
retur, ut illis præter victum alia plura necessaria ab ipsa Academia sine ulteriori pecunia data subministrarentur, cum hac ratione multis ambiguis sumtibus & dubiis rationibus, quas forte filii pupillius conficere possent, obuiam eatur: Hisce nouis tabulis fanciuntur sequentia.

Omnis indigena Nobilis ex terris hæreditariis, qui data pensione in Academia sustentatur.

I. Ab omnibus donationibus & muneribus immunis esto.

II. Cuius academiae inspectione & cura Directoris gaudet.

III. Prandium, cœna & potus in argenteo poculo ministrandus ab academia datur &

IV. Post exercitium in stabulo ientaculum.

V. Post prandium horis pomeridianis potus.

VI. Candela & lignum hyeme tam in stabulo quam in cubiculis ad calefaciendum subministratur.

VII. Institutione in omnibus studiis exercitiis & linguis peregrinis, prouti Catalogus Lectionum docet, gratis utitur.

VIII. Singulis diebus Dominicis & Mercurii variae recrea-

recreationes iuueni Nobili conuenientes tam in Academia, quam in horto ante urbem ad hunc finem aptato conceduntur.

Pro hisce quilibet soluit

Pro introitu vnica vice - 48 florenos

Pensionem annuam quæ - 300 florenos

Singulis tribus mensibus prænumeratur cum 75 fl.

Præfectus morum per annum soluit 300 florenos

Porro autem quilibet in Academiam secum afferre debet.

Strata plumaria cum duobus superindumentis & nonnullis manualibus.

Duo vestimenta triclinaria septem aut octo ulnas longa cum duodecim mantilibus.

Cultrum & forcillam, cochleare, quæ res allatæ cuilibet discessuro restituuntur.

Ad confirmationem harum legum secretum sigillum Imperatoris & regis Majestatis impressum est Vienne die 13. Julii MDCCXXVII.

CR

C

Cum

Cum jam omnes praesentes & futuri indigenae Nobiles Academici hisce clementissime constitutis legibus debitam obedientiam praestare debent: eas leges, ut omnibus innotescerent, imprimi & consueto Regii Regiminis secreto & subscriptione in publicum emitti curauimus, quod factum in arce regia Lignicii d. 23. Junii 1727.

Jann Baptista Comes
de Neidhart.



Johannes Georgius Kugler.

C. Ro-

Romani Imperatoris Regis in Germania Hispania Hungaria Bohemia consiliarius intimus Camerarius Capitaneus Joannes Baptista S. R. J. Comes de Neidhart Dominus in Spattenbrun Leopoldstein & Krichen uti etiam Consilarii principatus Lignicensis & urbium adjacentium &c. per hoc omnibus iis, qui Regiam Academiam Equestrem Lignicensem frequentant vel frequentare constituunt, notum facimus, quod Imperator & Rex clementissimus noster hereditarius Princeps & Dominus ex commissa & facta regia Commissione anno MDCCXXVI. de academia ad majus incrementum Regiae Equestris illius Academiae & simul in gratiam Exterorum Nobilium, qui data pensione in ea sustentantur, certas leges & regulas approbauerit & confirmauerit, quae de verbo ad verbum sic se habent.

LEGE S.

Extraneis Nobilibus, qui pensione data in Regia Academia Equestri Lignicensi viuunt, latae.

Cum Imperator & Rex in Hispania Hungaria & Bohemia paterna cura clementissime in id incubuerit ut Imperatoria & Regia Academia equestris Lignicensis semper dignos Professores & Magistros exercitiorum

c 2

habeat,

habeat, cumque ut eo promptius alliciantur nonnullorum salaria in majus aucta sint; cumque Imperator clementissime opinatus sit, Alumnis Academiae seu potius parentibus tutoribusque nihil gratius futurum esse, quam si de filiis pupillisque in Academiam receptis ea ratio ini-retur, ut illis praeter victum alia plura necessaria ab ipsa Academia sine ulteriori pecunia data subministrarentur, cum hac ratione multis ambiguus sumtibus & dubiis rationibus obuiam eatur, quas filii pupillique forte conficere possent: Hisce novis tabulis sanciantur sequentia.

Omnis extraneus Nobilis, qui data pensione in Academia commoratur,

I. Ab omnibus donationibus & muneribus immu-nis esto.

II. Academiae Civis inspectione & cura Directo-ris gaudet.

III. Prandium coena & potus in argenteo poculo ministrandus ab academia datur &

IV. Post exercitium in stabulo jentaculum.

V. Post prandium horis pomeridianis potus.

VI. Candela & lignum hyeme tam in stabulo quam in cubiculis ad calefaciendum subministratur.

VII. Institutione in omnibus studiis exercitiis &

Lin-

Linguis peregrinis, uti Catalogus Lectionum docet, gratis utitur.

VIII. Singulis diebus Dominicis & Mercurii occa-sio datur ad relaxandum remittendumque corpus animum-que tam in ipsa Academia, quam in horto academico ad hunc finem aptato ante Urbem in suburbio

Pro hisce quilibet soluit

Pro introitu vnica vice	-	60. florenos
Pensionem annuam	-	400. florenos

Quae singulis tribus mensibus prae-numera-tur cum	-	100. florenis
---	---	---------------

Præfectus morum per annum	-	300. florenos.
---------------------------	---	----------------

Porro autem quilibet in academiam afferre debet: Strata plumaria cum duobus superindumentis & nonnullis manualibus.

Duo vestimenta triclinaria septem vel octo vlnas longa duodecim mantilia.

Cultrum furcillam, cochleare, quae res allatae dis-cessuro iterum restituuntur.

Ad confirmationem harum legum secretum sigillum Imperatoriae & regiae Majestatis impressum est. Viennae die 13. Junii 1727.

Cum jam omnes præsentes & futuri Exteri Nobiles, qui Pensione data in academia instruuntur hisce clementissime ab Imperatore constitutis debitam obedientiam præstare debent: eas leges, ut omnibus innotescerent, imprimi & consueto Regii Regiminis sigillo & subscriptione in publicum emitti curauimus, quod factum in arce Regia Lignicii die XIII. Octobr. MDCCXL.

Joannes Baptista Comes
de Neidhart.



Joh. Georg. Kugler.

C. Ro-

Romani Imperatoris & Regis in Germania Hispania Hungaria & Bohemia Consiliarius intimus, Camerarius & Capitaneus Wenceslaus Adelberty Sacri Imperii Romani Comes de Wurben & Freudenthal Dominus in Datschurtz, Marquartz & Wohlschau. Vti etiam Consilarii Regiminis Principatus Lignicensis & municipiorum circumjacentium notum facimus iis, qui Academiam Regiam equestrem jam frequentant aut in posterum frequentare constituunt, quod Imperatoria & regia Majestas, noster clementissimus hæreditarius Princeps & Dominus secundum Academicam Commissionem 1726. constitutam Academiae alumnis certas regulas & leges clementissime approbauerit & confirmauerit, quæ de verbo ad verbum sic se habent.

I.

Omnes & singuli qui academiam frequentare volunt, Directorem conueniunt, deinde nostro regio Capitaneo exhibentur, pecunia pro introitu constituta statim repræsentator, pensio autem consueta semper in tres menses prærogator Curatori Regio Legati acceptis ab eo cautis s. syngrapha. Quo facto statim Albo Academico inscribuntur cum denominatione ætatis, nominis, gentis, familiz, simul profitentur, quam diu in academia commorari, vtrum exercitiis solis an etiam studiis vacare velint, & tunc cubiculum eis datur.

2. In

2.

In academia ipsa omnes modestam honestam
piam vitam viuunt. Æstate profestis diebus audita
horæ quartæ tertia parte, hyeme autem audita horæ
quintæ prima parte surgunt, decore vestiti post dimi-
diam horam in locum ad preces fundendas constitutum
veniunt nunquam eas negligunt. Post preces Ca-
tholici ad S. Missam eunt, qua audita recta academiam
repetunt. Diebus dominicis & festis ad horam sextam
surgunt ante septimam ad preces veniunt, postea,
qui Catholici sunt ad S. Johannis, qui Evangelici ad
S. P. & P. ædem pie secundum principia sacrorum, quæ
quilibet amplectitur, cultui diuino intersunt, quo fi-
nito recta in academiam redeunt.

3.

Studiis & exercitiis, quæ ad Catalogum lectio-
num a Directore exhibitum eliguntur, diligenter va-
canto, nullam horam negligunt alias notati pu-
niuntur.

4.

Inter se pacate & amice viuunt, omnes facetias
dicteria & exinde oriundas rixas & lites evitant, ex
academia nec diebus festis nec profestis sine Directoris
vel ejus qui vices ejus sustinet venia non egrediuntur
multo

multo minus peregre proficiscuntur aut ultra concessum
tempus extra academiam commorantur, locum verum,
quo ire constituunt, indicant tam Directori, quam
reliquis Professoribus & exercitiorum magistris debitam
reuerentiam & obedientiam præstant, eorumque ad
monitiones obseruant.

5.

Omnia duella & certamina singularia secundum
rigorofum nostrum rescriptum de Duellis sunt prohi-
bita, & Director vigilat, ut ea sedulo euitentur.
Pugnæ & decertationes manuales, dicteria in autore rixæ
præsertim deprensa in ea re versanti malitia grauiter pu-
niuntur & læsus deprecationem & satisfactionem suffi-
cientem habet. Quin imo ejusmodi rixatores &
vitilicatores cum nota ex academia ejiciuntur, & res,
si majoris momenti videantur, per nostrum regium Ca-
pitaneum & regimen diiudicantur.

6.

Apud mercatores fide tantum interposita & obli-
gata aliquid emere & nomina facere, ex supellectile
aliquid, quocunque nomine veniat, cum altero, quisquis
ille sit, commutare, oppignorare, vendere interdictum
est academix ciuibus, pariter ac tabernas, in quibus vi-
num, potus Caffee & vsus sphæristeriorum tudicula rio-

D

rum prostat, frequentare. Et ut damnosæ in vestibis æmulationes & sumtus, qui parentibus nimis graves fuerunt, saltem apud eos academix ciues qui ex nostris hæreditariis provinciis accedunt euitentur, his interdictum esto, uestibus auro argentoue ornatis acu pictis & sic Dicto panno auri & panno argenti uti, uti etiam quilibet simul per has leges de debito, commutatione, & negotio cum Academiae alumnis contrahendo monetur, ne pecuniam ipsis præ manu det, ne negotia cum ipsis contrahat nisi autoritate & fide Directoris inter posita.

7.

Ad prandium & cœnam statò tempore decore vestiti veniunt, super mensam ciuilitè, modeste & temperanter se gerunt, nunquam nisi permissu Directoris extra academiam cœnando, nec hospites inuitando. In diebus profestis inscio et inuito Direttore nullus accipito a quopiam saluatoriam visitationem aut per seruum constitutum e lectionibus evocator multo minus hospitem in academia per noctem retinere fas esto.

8.

Ignem caute tractant, & ut serui faciant, momento, ideo ipsi & serui hyeme hora IX. æstate hora X. cubitum eunt & post hoc indicatum tempus nullam candelam ardentem in cubiculo habent multo minus ad cubile ponunt. Nullus autem in tota academia sub poena graui tabacum fumato.

9. Nemo

9.

Nemo in academia bombardam aut similem machinam explodito, nec ejusmodi arma in cubiculo habeto nec explosa, nec onerata. Quod si autem commodis diebus Direttore permittente globulos ad metam ejaculantur, aut alio modo se oblectant: tunc locus extra academiam ipsis indicabitur arma vero postea Directori ad custodiam exhibentur.

10.

Cum cubicula & suppellectilia cum seris, fenestris, mensis, fellis, fornacibus &c. cuilibet integra traduntur: sic omnis tenetor hisce caute uti & discessurus pura & integra tradere. Proinde canes aves volantes & circumcurrentes alere nemini licitum esto.

11.

Discessurus ex academia quatuor septimanas ante abitum futurum discessum Directori annunciat. Si nihil dixerit, is, si pensione alitur, adhuc in quatuor septimanas pensionem soluit.

12.

Lusus chartarum chartaceus, & talorum penitus in academia interdictus esto. Et cum jam occasio ad recreationem data est & adhuc amplior dabitur: cuius inhibetum esto alterius cubiculum incurrere, ad fenestras stare & in iis tempus per confabulationes fallere. Nec jentaculum, cerevisiam, vinum poma inferri liberum esto.

D 2

13. Qui

13.

Qui in academia viuunt, Directori quouis tempore aditum in cubiculum permittere tenentor inde nullo claustro appposito, aut pessulo obdito eum ab aditu arcento.


14.

Quod si accidat aliquid, quod cives Academiae grauentur, illud Directori cum omni humanitate & modestia proponunto, qui vel ipse totum negotium discutito vel Capitaneo nostro & regimini discutiendum proponito.

15.

Ad has sancitas leges omnes academiae alumni viuunt & se hoc facturos esse statim accedentes Directori stipulata manu promittunt.

W. A. Comes de Wurben
& Freudenthal.



E. Kriegelstein de Sternefeld.

CONSPECTUS LECTIONUM ACADEMI- CARUM E.

*quas Professores & Magistri Exercitiorum in
Regia Academia Lignicensi profitentur & docent.*



Primum Auditorium.

HORÆ. MATERLÆ.

Ante meridiem.

Ab hora V - VI. vestiuntur & precantur.

VI - VII.	} equitant	[Diebus Lunæ
VII - VIII.		[Martis, Jouis
VIII - IX.		[Saturni.

IX - X. Institutiones Juris.

X - XI. Geometria Pract. Architect.
Militaris & Ciuilis.

XI - XII. Mechanica Pyrobologia &c.

XII - I. Prandium, cui Director interest.

D 3

Post

Post meridiem.

Ab hora I - II. Feriantur.

II - III. Lingua Gallica.

III - IV. Disciplina Moralis eadem Lingua proponenda.

IV - V. Jus canonicum.

V - VI. Dialectica.

VI - VII. Lingua Italica.

VII - VIII. Cæna, cui iterum Director interest, qua finita preces habentur.

CON-

CONSPECTUS LECTIONUM ACADEMICARUM

*quas Professores & Magistri Exercitiorum in
Regia Academia Lignicensi profitentur & docent.*

Secundum Auditorium.

HORÆ.

MATERIÆ.

Ante meridiem.

Ab hora V - VI. vestiuntur & precantur.

VI - VII.	} equitant	[Diebus Lunæ
VII - VIII.		[Martis, Jouis
VIII - IX.		[Saturni.

IX - X. Digesta.

X - XI. Epistolograph. Orator Politica.

XI - XII. Historia, Geographia, Genealogia, Heraldica Præensiones principum.

XII - I. Prandium, cui Director interest.

Post

Post meridiem.

Ab hora I - II. Feriantur.

II - III. Palæstra quorsum Exercitia saltu
ascendendi equum, Lancea-
rum, Vexillorum, armorum.

III - IV. Jus publicum in cuius explica-
tione ad jus Naturæ Gentium
& Feudale respicitur.

IV - VI. } Exercitium saltandi.
VI - VII. }

VII - VIII. Cæna, cui iterum Director
interest, qua finita preces
habentur.

Ad confirmationem hujus Lectionum conspec-
tus secretum Sigillum S. Sanctæ. Cæsareæ Majestatis
impressum est Viennæ die V. Decembr. MDCCXXVI.



Ex. XXVI. 1749

NOTIFIKACYA

ONINIEYSZYM

KROLEWSKIEY

A. K. A. D. E.

M. J. J.

RYCERSKIEY

W. L. E. S. N. F. G. J.

POSTANOWIENIU.

ANNO 1749.

W WROCLAWIU
PRZEDRUKOWAN U KAROLA WILLELMA GRASA.